



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hierakosophion**

**Demetrius <Pepagomenus>**

**Lvtetiae, 1612**

ij. De eligendo accipitre.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

volare permittunt. virgas etiam per circuitum explicant visci plenas, quibus capiuntur accipitres: post oleo calido viscum ad alas adhæresentem eximunt. Hæc capiendi ratio lædit accipitrem. nam cum effugere contendit, dilaceratur impetu suo. itaque sæpe fractis alis, ad venationem inutilis redditur. Alij ad summas arbores retia appendunt, columbamque in medio aut gallinam ponunt, atque in hunc modum accipitres capiunt. Est hoc aucupandi genus periculosum. sæpe enim ipsi accipitres cadunt & cōsumuntur. Sunt qui longas arboribus scalas applicant, & ita ex nido pullos capiunt, non sine periculo. nam propter tenerum corpus accipitres facile leduntur. Mala est igitur eiusmodi aucupandi ratio: præsertim cum etiam molestum sit seruare parvulum accipitrem flebiliter dies noctesque vociferantem. Hæ sunt contra accipitres inuentæ machinæ, quas sufficere arbitrör.

*Dé eligendo accipitre.*

**Q**VI bonum eligere accipitrem cupit, iuuenem primum querat oportet, deinde ophiocephalum appellatum. Sunt

iii A.



enim nonnulli capite paruo, serpentini capitis similitudinem gerente, hoc est, æquabiliter in extremas partes porrecto & lato. Sunt etiam alij longi. sed meliores rotundi, & quadrati; quorum nares nigræ, caput paruum, summus capitum vertex, ut aquilarum, planus; lingua omnino nigra; in cauda tredecim aut quatuordecim pennæ; squamæ in digitis similes squamis cyprini piscis, ad radices calcarium notæ quedam. Citrinus color in accipitre ne sit valde candidus; nam ostendit accipitrem non longæuū fore. Qui lingua sunt partim alba, partim nigra, secundas bonitatis ferunt. Qui alba omnino, improbandi sunt. Ille verò, qui eleophorus appellatur, colore oleaceo, est breuis vitæ.

*De discrimine accipitrum.*

**M**ULTA sunt genera Accipitrum. Alij celeres ad venandum, columbis & palumbis infestissimi, hi aues minores capiunt. Alij ad volandum pigerrimi, & adeò tardi, ut velint ab alijs nutririri. ij ranis insidiantur. Nonnulli venandi societatem cum hominibus coëunt; & alaudis, & hirundinibus hostes sunt, quos aliquis cognatos